

Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stolam rex conspiciat nuptialem, dicetque tibi: Amice quomodo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video, quod contuli; non nosco, quod dedi. Perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texti, et tendiculas crucis, quas extendens aquam mundavi, et purpura mei sanguinis decoravi, non conspiciunt oculi mei? Characterem non video Trinitatis: talis non poterit interesse epulis meis, ligate eum pedibus et manibus, etc. » Hæc ille. Itaque: *Ante iudicium para justitiam tibi*, ait Ecclesiasticus, c. XVIII. ne repente obrutus et deprehensus a districto iudice sine veste nuptiali, non habeas, quo te excuses.

CONCIO V.

EXCUSATIONES PECCATORUM VARIE RETUNDUNTUR.

I. Aliqui rejiciunt culpam in Deum. — II. Alii in mundum: 1. In parentes. 2. In heros. 3. In socios. 4. In exempla mala et vulgum. 5. In peccandi occasiones et statum vitæ. — III. In defectus et vitia naturæ: 1. In ignorantiam. 2. In bonam intentionem. 3. In malas inclinationes. 4. In concupiscentiam et passionem. 5. In malam consuetudinem. 6. In diabolium.

THEMA.

At ille obmutuit. Matth. XXII.

Quando primi nostri parentes post admissum peccatum, nudos se esse cognoverunt, vehementer inde confusi, consuerunt folia ficus, et fecerunt sibi perizomata, ne videlicet nudati coram Deo apparerent. Quæ quidem folia et perizomata quid indicarent, pulchre explicat Ambrosius eo loco: « Voluit (Adam) se operire quibusdam ficus foliis, inquit, fortasse quibusdam inanibus et umbratilibus sermonibus quos compositis mendaciis assuens ad operiendam conscientiam suæ mentis factique velamen, peccator intexit ut pudenda sua contegat. Jacit enim super se folia, qui culpam velare desiderans, aut diabolium delicti memorat auctorem, aut carnis præteritum illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris, etc. » Unde: « Nunc quoque, inquit S. Gregor. lib. XXII. moral. c. XIII. et lib. XXXIII. c. XXXI. humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt, ut cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba quasi sub quædam se arborum folia abscondat. » Sane sciunt etiam pueri et puellæ, cum deliquerunt, texere excusationes; et quidquid tandem delinquant, suam defen-

sionem habent. Quæ cum ita sint: Cur, quæso miser et infelix ille, qui in hodierno evangelio sine veste nuptiali deprehensus est, nullam attulit excusationem ad se defendendum? Cur non consuit folia, ut se iis tegetet, qui vestem nuptialem, qua tegetetur, non habebat? Num tu, o miser solus adeo simplex est, ut nullam excogitare technam et prætexere excusationem queas? Cur statim obmutuisti? Sed nimirum Christus hac parabola sua indicare nobis voluit, nihil valere coram Deo excusationes peccatoris: et sicut folia non sunt apta firmaque vestium materia; sic etiam inanes esse peccatorum accusationes, ac proinde fore ut omnes peccatores coram Deo obmutescant in iudicio. Quod, quam verum sit, videbimus, et excusationes peccatorum audiemus.

I. Rejiciunt aliqui culpam in Deum. Primo, quasi ipse præcipiat et incitet ad peccandum. Quod fecit olim Simon magus; nostro tempore Calvinus et Lutherus. Quos tamen erroris arguit et jugulat Scriptura, Ecclesiasticus, cap. V. *Nemini mandavit impie agere*: et ibid. *Non dicas: Ille me implanavit*, id est, errare fecit: et Psalm. V. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Alioquin iudicabit Deus hunc mundum?* ait apost. Rom. III. Quare merito S. Chrysost. hom. XXXIII. in Acta, satius esse ait sexcenties defodi, quam Deum talia per nos audire.

Secundo, quod Deus sit auctor peccati, eo quod sit auctor actionis peccaminosæ, concurrans cum homine peccante. Sed respondetur, Deum concurrere cum homine peccante, quatenus homo ille est causa efficiens, non quatenus est causa deficiens. Effectum enim producit simul cum homine Deus: sed defectum solus homo: sicut claudicatio non est formaliter a virtute motiva, sed tantum a tibia infirma, licet virtus motiva concurrat ad claudicationem, sed qua est ambulatio, non qua claudicatio. Actio ipsa peccaminosa, quatenus actio est, bona est, ut occisio hominis, v. g. quæ in bello iusto licita et bona est. Quod autem homicidium malum sit, ab hominis peccato venit.

Tertio, quod dederit homini liberum arbitrium, quo peccare potest. Sed respondetur, Deum dedisse homini libertatem, uti gladium: non ut eo Deum aut seipsum offendant; sed ut hostes animæ suæ jugulet, eoque gloriam sibi parat. « Soli inter animantia, inquit S. Bernardus, in tract. de gratia et lib. arbitr. datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrii, datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret, si non peccaret, cum peccare posset: » et infra: « Non fuit culpa dantis

sed abutentis, qui ipsam facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. » Imo tanto minus peccare deberet homo, quia liber factus est. Si enim rex aliquis fecisset te principem potentem, divitem, liberum nonne plus eum deberes venerari et minus offendere, quam si tantum nobilem te fecisset, et arcem cum pago, v. g. tibi donasset? Et tamen in priori casu, posses ei rebellare, quia haberes vires; in posteriori non posses. Sic vel ob id ipsum peccare non deberes, quia Deus te libertate donavit. Eris autem nihilominus liber etiamsi non pecces: posses enim peccare, quantum est in te. Et hæc est major gloria, nolle transgredi cum possis, juxta id Eccl. XXXI. *Beatus qui potuit transgredi, et non est transgressus.*

Quarto, quod permittat mala, et dimittat peccatores: *Secundum desideria cordis eorum ire in adinventionibus suis*, cum posset impedire. Sed respondetur, Deum non esse gubernatorem legibus adstrictum, qui proinde debeat impedire mala subditorum, quemadmodum gubernatores humani: sed esse supremum rerum omnium moderatorem, qui supra leges est, et ideo ad illum spectat, non impedire cursum rerum quamvis defectibilium. Cum ergo hominem liberum fecerit ad bonum malumque flexibilem, conveniens est, ut eum agere sinat, prout ipse vult, adjuvando quidem ad bonum, non tamen impellendo. Sic demersio navis non adscribitur peregrino, qui illa vehebatur, quantumvis eam impedire potuerit sed soli nauclero, qui ex officio impedire debebat, ut ostendit S. Thomas, I. II. q. XCII. art. I. Similiter peccata hominum Deo ascribi nequeunt, quia ipsius est cursum rerum et conditionem cujusque naturæ non impedire.

Quinto, quod impossibilia vel nimis gravia mandavit. Sed contra primum est, quod Dominus, Deut. XXX. ait: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, neque in caelo situm, neque trans mare, etc. sed juxta te est*: deinde, David, Josue, Zacharias, dicuntur in Scriptura, omnia mandata implisse: denique, supra tyrannum fuisset Deus, si impossibilia mandasset. Contra secundum, quod Dominus dicit: *Jugum meum suave est, et onus meum leve*: et Joannes, epist. I. cap. III. *Mandata ejus gravia non sunt*. Sed quemadmodum amanti nihil est difficile: sic non amanti, frigido, delicato, veteroso nihil non grave et intolerabile. Currus unctus facile trahitur: non unctus cum stridore et difficulter.

Sexto, quod subjecerit hominem cælorum influxibus et astris. Sed hæc in signa tantum et

tempora facta, ut serviant homini, propter quem facta sunt omnia: nequaquam vero ut dominantur illi. Deinde, cur homini data libertas arbitrii, si ab astris cogi eum voluit Deus? Mentuntur ergo astrologi, quoties præsagiant ea, quæ ab hominum voluntate pendent, uti dissidia, fœdera, rebelliones, etc. quia in hæc nihil possunt astra: nisi quod appetitum sentientem aliquatenus immutare et sic ad effectus inclinare possunt, nequaquam vero cogere. Quare: *A signis cæli nolite metuere*, ait Jeremias, c. X.

II. Alii in mundum et primo, in parentes partim quod ab illis hæreditarint vitia: partim quod sub ipsorum imperio sint, qui quandoque illicita jubent. Sed contra primum est, quod si a parentibus in prolem transferrentur animi vitia, ex patre malo nullus esset bonus filius, nec ex bono malus: non Cainum genuisset Adam, non Ismaelem Abraham, non David Absalonem, non Ezechias Manassem. Vitia quidem corporis quandoque transeunt in filios, sed et hæc declinari possunt consuetudine et sana vivendi ratione; et deinde animo nihil efficiunt. Quod si præterea malas inclinationes a parentibus hæreditent, ea nullam inferunt necessitatem, sed per disciplinam et virtutis studium facile corrigi possunt. Annon bestię domantur, et artificiose instituuntur: ursus ad saltum, lepus ad tympani pulsationem, asinus ad choreas: quæ tamen contra eorum naturam sunt?

Contra secundum est, quod in iis, quæ legi Dei adversantur, obediendum est magis Deo quam parentibus contraria præcipiunt, quia Dominus ait, Matth. X. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*: et Luc. II. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Unde Hieronymus, epistol. X. ad Fur. ait: *Honora patrem tuum, sed si te a vero patre non separat*. Agesilaus rex jubente patre ut contra leges pronuntiaret, respondit: *Abs te, pater, a puero didici. Quam ob rem nunc quoque tibi obtempero, cavens ne quid faciam contra legem*: et Agis a parentibus injustum quid rogatus: *Justitiam, inquit, potius quam vos sequar*.

Secundo, in heros, quod ab aliis sibi iniqua præcipiantur. Sed cum plus Deo obligetis quam domino sæculari: *Oportet magis obedire Deo quam hominibus*, ait S. Petrus, Act. V. quando videlicet præcipiunt, quæ Dei vel alicujus superioris præcellentioris mandato repugnant. Num tu obedias domino tuo præcipienti, ut occidas parentem tuum? Minime arbitrator. Cur ergo obedias præcipienti, ut pugnes contra Deum? Sed plaga mihi imminet, ais, nisi obsecutus fuero. Est-

melius est incidere in manus hominum, quam in manus Dei: prius tibi erit, si talia imperata facias, quia de sartagine in ignem salies.

Tertio, in socio. Sed quid Dominus dixit? *Si oculus tuus scandalizet te, erue eum, et projice abs te: melius est tibi, etc.* Nonne civitatem vel domum peste infectam, etiam amicorum, omnibus modis vitas? Nonne si forte advertas in itinere te incidisse in fures aut latrones, quamprimum potes, te ab illis segregas, ne cum illis comprehendaris et luas? Cum ergo corporalia damna sic vites, cur non et spiritualia? Nonne anima plus est quam corpus? Quare in hoc puncto potius te accusas. Unde Euripides dicebat: « Si quis malorum gaudet commercio, rogare qualitas sit, non est opus: namque similis est sodalitati sui. »

Quarto, in exempla mala et communem peccandi usum. Sed quid præcipit Deus, Exod. XIII. *Non sequeris turbam, inquit, ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententia, ut a vero devies.* Ratio, quia communis peccandi usus non minuit culpam, sed gehennæ socios multiplicat, sicut ait Christus: *Ite maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo et angelis ejus.* An nescis peregrinos, ubi multi simul divertunt, ibi male hospitari? Annon Dominus viam communem hominum suspectam fecit, cum dixit: *Lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam?* Et mirum valde est, quod cui non fideres soli, ei fidas in turba similibus. Unde Socrates, inquit Laertius, l. II. c. V. eos qui multitudini imperitæ fidem habent, aiebat perinde facere, ac si quis tetradrachmum unum contemnens rejiceret, et acervum e similibus congestum probaret reciperetque. Nummus adulterinus etiam in quamvis magno acervo adulterinus est.

Quinto, in peccandi occasiones et statum vitæ periculosum, v. g. mercatores dicunt, se sine juramentis, mendaciis et dolis non posse vendere merces: caupones non posse se vitare crapulam et ebrietatem, quia debeant assidere hospitibus et cum illis epulari: milites non posse abstinere a rapinis, blasphemis, etc. iudices, præfecti, consules, adeo sese oneratos curis et negotiis, ut respirare nequeant, seque subtrahere et conscientiam curare. Sed vide imprimis, an tu non ipse tibi statum hunc elegeris, cum securiorem viam tenere potuisses. Deinde, nullus est status vitæ honestus, in quo non possit inculpata vita duci, imo etiam perfectio acquiri: quia nulli denegatur a Deo gratia sufficiens ad statum suum. Sed multi diffidentes

de Deo, et plus confidentes in propria industria, fraudes, mendacia et rapinas adhibent, et alios excessus committunt, sine quibus putant temporalia subsidia non posse obtineri. Denique, qui intelligit se in statu periculoso degere, in medio laqueorum ingredi, et in medio nationis pravæ versari, debet tanto cautius incedere, et se contra omnia pericula munire. Si enim scias tibi multos insidiari, multis te munis armis, ut quocumque in loco et quacumque hora defendere te possis.

III. Alii in defectus et vitia naturæ. Et primo, in ignorantiam: sed ea tantum excusat, quando est invincibilis, quando scilicet per te non stat, quominus illam studio adhibito vincas, et in cognitionem rei sciendæ devenias. Alioqui si sit vincibilis, cujus nimirum homo ipsimet est causa, sive quia dedita opera ignorare aliquid vult (quæ dicitur affectata); sive quia non adhibet operam, ut rem intelligat, cum tamen adhibito studio facile ad cognitionem rei pervenire posset, (quæ dicitur crassa:) tunc, inquam, minime excusat; quia hæc ignorantia voluntaria est. Et de affectata quidem scriptum est, Dan. XIII. *Averterunt oculos suos ne viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum justorum:* et Psalm. XXXV. *Noluit intelligere ut bene ageret.* Tales sunt qui ex intentione fugiunt conciones, ne eorum vitia taxentur: nunquam legunt vitas sanctorum et pios libros de pœnitentia et vitæ christianæ institutione, ne in illis cernant vitiorum suorum fœditatem: fugiunt viros graves et bene monentes, quemadmodum elephas aquas limpidas, ne in iis turpem sui ipsius effigiem cogatur intueri: rarissime, perfunctorie et ex abrupto confitentur, obiter recensendo peccata, sine numeri, speciei et circumstantiarum expressione, ne restituere cogantur, pellicem amovere, etc. De crassa vero dicitur, Prov. XVII. *Qui evitat discere, incidit in mala.* Et propter illam immisit Dominus in incolas Samariæ, leones, qui interficiebant eos, eo quod: *Ignorarent legitima Dei terræ, seu ritum colendi Deum, IV. Reg. XVII.* Quales sunt, qui conciones levi de causa negligunt, quas si diligenter adissent, facile quid agendum sibi esset, perdiscere potuissent. Unde nihil proderit dicere: Nescivi quando esset jejunandum, feriandum: hoc vel illud esse tantum peccatum: sic ambulandum, etc. audiet enim: Ad quid constitui tibi prædicatores? Cur non requisisti legem ex ore sacerdotis? Et si hæreticus quis sit: Cur non adiit Ecclesiam, quæ sola Christi schola est? Denique, de utraque ait apostolus, I. Cor. XIV. *Si quis ignorat, ignorabitur.* Audiet enim illud: *Nescio vos.* Nec pro-

derit dicere: Non putabam. Si quidem in negotio salutis præsertim attendere tibi debebas, qui in rebus sæculi tam sedulo attendebas.

Secundo, in bonam intentionem; dicunt enim se bona intentione mentitos, v. g. vel jurasse, vel famam alterius denigrasse, jejunium violasse, damnum alicui dedisse, etc. Sed noverint isti, nullo bono sine cohonestari posse, quæ constat esse peccata, nec licite fieri posse, licet ingens inde promanaret utilitas; siquidem apostolus ait ad Roman. III. *Non esse facienda mala ut veniant bona.* Unde si uno veniali delicto possent redimi ex inferno omnes damnati, non licet id peragere; quia plus habet malitiæ unum levissimum peccatum, quam habeat boni omne totius mundi lucrum. Minuit quidem bona intentio peccatum, quemadmodum in obstetricibus illis, Exod. I. quæ excogitato mendacio se excusabant, quod non perdidissent Hebræorum, sed non tollit. Sic enim Saulem non excusavit bona intentio ab inobedienciæ peccato, cum dixit se reservasse greges ad immolandum Domino, quos ex præcepto Domini occidere debuerat, I. Reg. XV.

Tertio, in voluntatis depravationem et malas inclinationes. Dicunt enim: Sentio voluntatem meam ad divina tepidam et pertesam; adeoque a Deo distortam: ad terrena vero expeditissimam et inclinam; et hinc: *Non quod volo facio, etc.* Sed ut sit, possumus huic voluntatis vulnere facile mederi, præsertim post Christum mediatorem, qui sufficienter nobis acquisivit gratiam, ut contra torrentem niti possimus et voluntatem rursus ad Deum dirigere et quodammodo impellere. Cum ergo voluntatem tuam ad malum propensam sentis, antequam eligas et imperes, siste gradum, propone ei argumenta, hinc infernum, illinc gloriam, merita Christi et exemplum, gratiam adjutricem, etc. quibus ei persuadeas ut bonum honestum amplectatur. Noli ita cæcus ruere in foveam. Imitare prudentem ducem, qui antequam bellum moveat, mature rem considerat, quem finem sortiturus sit, ideoque consiliarios adhibet. Adhibe cæcæ voluntati tuæ consiliarium rationem, ab hoc enim tibi ea a Deo est data. Claudicanti adhibe subsidia alia gratiæ, orationem, etc. Notus quidam fatuus, apud Munsterum, in cosmog. principi suo in Galliam ducturo dixit: *Tu quidem cogitas quomodo Galliam intres? Sed nihil pensi habes, quomodo egressurus sis.* Cur non tibi etiam hoc tua ratio suggerit?

IV. In concupiscentiam et animi passiones, quæ velut effrænes equi hominem in præcipitia abripiunt. Iracundus accusat cholera suam,

piger melancholiam, etc. sed quid dicit Dominus, Genes. IV. *Sub te erit appetitus ejus,* (id est, peccati) *et tu dominaberis illius.* Pro quo Septuaginta vertunt: *Et ad te conversio ejus,* hoc est, licet concupiscentia te sollicitet ad peccandum, debet tamen a te petere consensum tuum: et si excurrat ad prædam, præveniatque imperium tuum; tu tamen eam revocare et ad te convertere potes, sicut canis revocatur a venatore et sistitur, quando forte ante jussionem excurrit post feram. Quare licet sentias æstus cholerae aut libinini maximos; tu tamen voluntate tua forti et constanti renitere dicitque illis: Nolo vobis consentire, ego vos detestor: non ex voluntate mea adeo insanitis: tacete, obmutescite. Sicque eris passionum tuarum domitor: et coram Deo mansuetus et castus. Quod si frænum equis lascivientibus laxes, et ferocientibus canibus non oclames, culpa tua est, excusatus non es sicut non excusatur homicida, si dicat ob nimiam inflammationem et cæcam iracundiam se fecisse cædem. Quod si advertas te pronum esse ad hanc vel illam passionem, hoc vel illud vitium: tu tanto magis vigila et attende tibi, vim tibi infer, fuge occasiones peccandi et objecta, in quæ inclinatum te sentis. Sic enim Ecclesiast. XVIII. dicitur: *Post concupiscentias tuas non eas.*

V. In malam et inveteratam consuetudinem: ejus quidem magna vis est, sed nequaquam excusat hominem, duplici de causa; primo, quia frequentatis actibus seipsum in hoc barathrum pravæ consuetudinis coniecit, tantum igitur abest ut per hoc se excuset, ut etiam magis accuset et lutum luto tegat. Deinde, quia vinci contrariis actibus potest. « Hanc vincere difficillimum est, inquit Augustinus, lib. de serm. Domini in monte, et tamen ipsam, si se quisquam non deserat, nec formidet christianam disciplinam, Deo duce atque adjuvante superabit. » Clavum igitur clavo pelle. « Et, sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ait apostolus ad Roman. VI. ita nunc exhibite membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. » Magnum habemus medicum, Christum, cujus ope nihil non morbi curare possumus: multa et efficacia remedia, si iis uti velimus. Sic mutavit pellem Paulus, Magdalena, Zacchæus, Augustinus, etc. meri olim Æthiopes. Atqui durum mihi, inquis, hoc est et difficillimum. Tua culpa ipse tibi hoc intrivisti, quod nisi excedas, væ tibi, quia nisi exuas veterem hominem, Christum iudicare non potes.

Denique, in diabolum rejiciunt aliqui culpam,

quod veste nuptiali careant : *Serpens*, inquit Eva, *decepit me*. Sed neminem impellit diabolus in peccatum, nec prosternit quemquam, qui prius non consenserit, quem proinde consensum ante omnia impetrare studet, ut cum dixit : *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Unico verbo pelli potest : *Vade Satana* : seu, non consentio tibi. Audi Augustinum, serm. CLXXXVII. de temp. « Alligatus est enim tamquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere nisi eum, qui se illi mortifera securitate conjunxerit. Jam videte fratres quam stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates et cupiditates sæculi noli conjungere, et ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest nisi volentem : non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet a nobis consensum, sed petit. » Hæc ille verissime. Ubi enim legitur dæmon aliquem momordisse, qui se prius illi non junxerit? Miramur quidem quomodo tot sagas in suam potestatem traxerit, sed verissimum est, nullam traxisse aut trahere potuisse nolentem. Omnes prius mortifera securitate se illi conjunxerunt, aliæ sectando avaritiam, aliæ odium et inimicitiam, aliæ superbiam, pleræque luxuriam. Si quis a cane catenis alligato mordeatur, sibi adscribere debet. Quam securus fores, si nullus tibi serpens nocere posset nisi quem sponte tollas et in sinum reponas? Quam tunc posses accusare, nisi te ipsum? Potest quidem dæmon imaginibus quibusdam te sollicitare, sed modo non consentias, modo cum illo non sermocineris, attrahere ad se non potest. Injuriam ergo facis dæmoni, si culpam tuam in illum rejicias, ut per hoc te excuses.

Quoniam igitur nihil est, in quod rejicias culpam tuam, in te ipsum rejice! *Perditio tua ex te Israel* (Ose. XIII.) Hinc igitur obmutuit, qui veste nuptiali caruit; et ita obmutescunt in iudicio omnes peccatores.

CONCIO VI.

MEDIA AC MODI QUIBUS DEUS VOCAT.

I. Vocat per Scripturas ss. et libros pios. — II. Per superiores, concionatores, confessarios, parentes. — III. Per exempla bonorum. — IV. Per prosperitatem et beneficia. — V. Per flagella et adversitatem. — VI. Per remorsum conscientie. — VII. Per intermas inspirationes.

THEMA.

Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.
Matth. XXII.
Ferunt (in post canic. Maioli) Mancinum quem-

dam rusticum a mercatu cum asellis domum redeuntem, forte uni insedissee, itaque computatis qui præbant asinis, unum desiderasse, quod vectorem suum non numerasset : itaque eodem illo asino vectum ad mercatum rediisse et passim undique asinum suum ab obviis requisisse; donec tandem ab uxore monitus, illum ipsum cui insederat, asinum sibi desideratum fuisse agnovit. Ridendum se profecto exposuit hic rusticus; sed habet tamen is non paucos sibi similes. Quomodo enim non ridendus est, qui servos et satellites perpetuo secum euntes quaerit? At vero talium hominum magnus profecto numerus est. Nemo nostrum est, cui non frequentissime mittat Deus servos suos, qui nos ad celestes nuptias vocent, et interim quam plurimi non agnoscunt servos istos; ideoque velut alienos, nihil ad se pertinentes sine omni honore dimittunt, et vacuos remittunt. Audias dicere aliquem : Si veniret ad me servus Dei, vocans me ad nuptias illas, illico acquiescerem et sepositis omnibus venirem. Interim tamen is sæpe non unum tantum, sed plures Dei servos, a quibus invitetur, a tergo sibi instantes habet, nec eos tamen curat, quia non agnoscit. Quare auditores, ne in re tam gravi tam stulte hallucinemur, aperiamus oculos, et agnoscamus Dei servos, qui nos ad cæli nuptias vocant.

I. Vocat nos per Scripturas et libros pios. *Quid enim est sacra Scriptura*, ait S. Gregorius, lib. IV. epist. LXXXIV. *nisi quedam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam?* Et S. Augustin. serm. CXII. de temp. *Cum oramus, cum Deo loquimur, sed cum legimus, Deus loquitur nobiscum.* Ostendunt illæ nobis Dei voluntatem, defectus nostros, pericula salutis, et rationes ea evitandi, instruunt et solantur nos, hortanturque ad progressum in bono, ad penitentiam, etc. quemadmodum epistolæ Joannæ scriptæ ad episcopos Asiæ indicantur illis nævos eorum, Apoc. II. et III. Ex his conversus est S. Anton. audiens legi illud : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus* : et Augustinus postquam audisset vocem : *Tolle, lege et accepto codice incidisset in illum locum apostoli : Non in commensationibus et ebrietatibus, etc.* et Simon Stylites ex illo : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum : beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, adeo conversus est, ut octoginta annis continuis in columna steterit. Verba illa Isa. c. I. *Lavamini, mundi estote, etc.* audiens legi in Ecclesia fornicator quidam, compunctus et conversus est, planeque vitam incestam in castam commutavit. Hunc enim Paulus, discipulus S. Antonii, cum prius ingredientem in ecclesiam vidisset nigrum et nebulosum a dæmo-

nibus fræno in os misso trahi et regi, et angelum sanctum ejus a longe sequentem tristem : post egredientem vidit clara facie et candido corpore, ac dæmones a longe sequentes eum; sanctum autem angelum ejus prope eum hilarem et gaudentem nimis, uti refert Ruffin. l. III. in vitis patrum, n. CLXVII. Alia ejusdem Isaïæ sententia e cap. XIV. desumpta, nimirum : *Subter te sternetur tineæ et operimentum tuum erunt vermes*; delicato cuidam adolescenti, qui nullam spiritualem admonitionem audire volebat a viro religioso occenta tam alte in ejus animum descendit, ut is nil nisi vermes illos cogitare posset, quare mundo ejusque illecebris relictis, religioni nomen daret, *Platus*, de bono relig. l. III. c. ult. « Sane uti in paradiso, inter vernantes arborum florumque surculos, aut rutilantes malorum facies, necesse est prætereuntem, vel odore saltem et colore refici, utque qui in sole, licet animi causa, deambulat, calefcere tamen, et rubedine imbui videmus; ita divinas litteras religiose assidueque legentium, audientium, discendum mentes, sensus, consilia, vota, moresque veluti quodam divinitatis colore tingi, sanctisque affectibus accendi necesse est, » inquit Corn. a Lap. in proem. in pent.

II. Per superiores, concionatores, confessarios, parentes, etc. Hi enim sunt velut nubes illa præcedens Hebræos per desertum, quæ indicabat, quando quiescendum et quando esset progrediendum. Hanc ob causam, (uti S. Gregorius et alii sentiunt,) Deus Heli sacerdotis senilem vocem assumpsit, quando Samuelem vocavit (siquidem ea audita, mox recurrit Samuel ad Heli, cujus imperio regebatur, l. Reg. III.) ut disceremus nos vocem superiorum esse vocem Dei, ex illorum ore Deum nos vocare. Cujus rei adducam simile exemplum, in quo per os p. Petri Fabri de soc. Jesu repetitum verbum vocationis suæ. Sic autem habet historia. « Joannes Nunnus Hispanus nobilis ex Gusmanorum familia, a qua et Dominicus oriundus, is est, qui primus patriarcha in Indiam destinatus a pontifice Maximo, multis confectis laboribus, magnam suæ virtutis veræque sanctitatis opinionem posteris reliquit. Cum ergo juvenis anxius de vitæ genere deliberans, integro anno a B. Virgine postulasset sibi a Deo certam vivendi viam ac rationem indicari, quam secure tenere sequique posset, apparuit dormienti Dei Mater, augusta specie, comitata duobus societatibus Jesu patribus, nempe Petro Fabro, uno ex primis decem, et Francisco Strada. Insistenti ergo coram Nunno ardentius pro certo vitæ cursu cælitus designando, intulit cæli Regina : Vis

servire Filio meo usque ad defatigationem? Cui Nunnus : Omnino, Domina : Sequere ergo, ait illa, hos viros. Ostendit vero illi comites suos, patres Fabrum et Stradam, ac disparuit. Nunnus vero suspicatus est ex habitu veros illos esse societatis Jesu, sed sibi prorsus ignotos : nec Domina indicavit quo eos loco inveniret. Quare partim anxius, partim lætus cælesti visitatione, reliquum suæ patronæ Virgini Matri commendavit. Contingit vero ut iter facienti duo societatis patres temere occurrerent, visoque habitu eos aggressus est; cumque de admissione mentionem intulisset, tum pater Faber : Vis inquit, servire Christo usque ad defatigationem? Qua interrogatione percussus, venit in mentem verborum Virginis Matris, quæ ejusdem verbis usa fuerat : Vis servire Filio meo usque ad defatigationem? Ille, velut certam vocationis suæ tesseram reputans, oculos in vultum utriusque defixit, et eos agnoscens, procidit eis ad pedes, obtestans ut se ad societatem admitterent, narrataque totius vocationis serie, admissus est summa sua et patrum consolatione. » Refert Maffei, in vita S. Ignatii, l. II. c. VI. Ergo ii demum utiliter audiunt monita prælatorum, confessorum, concionatorum, qui credunt per eos loqui Deum. Nec refert, si ipsi interdum minus eruditi vel probi sint. Novimus enim angelum locutum aliquando per os asinæ, Num. XXII. Hoc nomine laudat apostolus Thessalonicenses, quod acceperint verbum Dei : *Non verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei.*

III. Per exempla bonorum. Unus carbo candens accendit alios frigidus et nigros : sic Christus sua patientia et charitate accendit in cruce latronem bonum : sic alii boni reprobos. Sane apostolus ad Philipp. II. ait in primæva Ecclesia Christianos in medio nationis prævæ luxisse sicut luminaria in mundo. Et propterea suasit mulieri fideli non dimittere virum infidelem, l. Cor. VII. quia sperare poterat viri conversionem ex sua conversatione; sicuti S. Cæcilia convertit sponsum suum Valerianum; S. Monica maritum suum Patricium ad fidem sua patientia et dextertate pertraxit, l. IX. confess. August. cap. IX.

De Ecclesia magis quam de synagoga, de Christianis potius quam de Judæis intelligendum est illud Zachariæ vaticinium, c. VIII. *Hæc dicit Dominus exercituum : In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes : Ibimus vobiscum; audivimus enim quoniam Deus vobiscum est.* Pauci gentiles facti sunt Judæi; sed innumeri facti sunt Christiani, sanctitatis eorum exemplo permoti. Et videmus